

2175

LITURGICI.

2176

mel vero etiam, nempe fol. 237. p. 2. aulaeum ejusdem rationis juxta adpensum habeat vix dubium fit, *Galliam* innui.

DCCCCVI.

R. 1269 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 139. 8. eleganter scriptus, et praeter complures auro, coloribusque florulentos margines XIX. Iconibus splendide depictis, quarum XIII. mysteria vitae et mortis Christi, ejusque Matris, reliquae VI. Scuta gentilitia repraesentant, ornatus varia Precandi Exercitia continet, nempe *Cursum de Passione Domini secundum Rubricam Wratislaviensem*, *Horas canonicas pro laude beatissime virginis Marie*, denique *septem psalmos penitenciales* cum Litanis OO. SS. Atque ex his Litanis erui posse videtur, in cujus usum Codex hic olim scriptus fuerit, quidque sibi sparsa per illum Scuta gentilitia velint. Invocantur in iis non modo *Wenceslaus*, *Adalbertus*, *Sigismundus*, *Georgius*, *Procopius* et *Ludmilla Bohemiae* Indigetes, sed fol. 136. p. 2. oratur: *Ut mihi famulo tuo G. sanitatem et victoriam in hoc seculo, et post mortem vitam eternam concedere digneris.* Fol. 53. p. 2. juvenis hic G. habitu et pileo ducali decoratus ante Deiparam genua flectit. Ajo igitur, juvenem hunc esse *Georgium Ducem Olsnensem Henrici Ducis Munsterbergensis*, qui Regis *Bob. Georgii Cunstadii de Podiebrad*

tertio genitus fuerat, secundo genitum natum 1470. defunctum 1502. Atque hinc facile Scuta gentilitia explicantur. Primum, quod Codicem auspicatur, in medio Scutulum *Cunstadianum* exhibet argenteum superne ter nigro fasciatum. In Quadro dextro superno et sinistro inferno *Aquila Munsterbergensis* nigro rubroque ad perpendicularum secta, lunula pectorali argentea, in Quadro sinistro superno, et dextro inferno Insigne Comit. *Glaciensis* rubrum fascia bina aurea incurva comparet. Igitur Insignia *Henrici* Patris. Eadem ratione Insignia Matris *Ursulae Brandeburgicae* Codicem terminant, inprimis Scutulum medium argento nigroque quadrifariam sectum *Zolleranum*, dein in Quadro dextro superiore *Aquila rubra Brandeburgica*, in inferiore *Leo niger rubro coronatus Burgavorum Norimberg.* in utroque sinistro argenteo *Gryphus ruber* ob partem *Pomeraniae*, quae jam tunc Marchionibus *Brandeb.* cesserat. In reliquis Iconibus partim eadem Scuta jam majore, jam minore forma redeunt, partim haec nova visuntur: *Sternbergiorum* Stella aurea in area caerulea, quod *Henrici Ducis Mater Cunegundis Sternbergia* fuit; *Lignicense* rubro, alboque tessellatum fortasse, quod *Fridericus I. Dux Lignic.* *Ludmillam Henrici* sororem in matrimonio habuit; *Oppaviense* rubro et albo deorsum sectum, quod, ut videtur, *Victorinus Henrici* Frater hunc Principatum aliquam-

2177

C O D I C E S

2178

quamdiu tenuit; denique *Silesiae* Aquila nigra, pectore lunula et cruce argentea in campo aureo.

DCCCCVII.

- E. 82 Codex membraneus lat. Sec. XVI. ineuntis Folior. 234. 4. luculente exaratus, marginibus exterioribus splendide deauratis et picturatis, Iconibus insuper XXXVI. Mysteria Religionis et Acta Sanctorum repraesentantibus exornatus ad pium usum Ordinis S. *Johannis Hierosol.* paratus est, et, ut videtur, *Emerico de Ambosia*, qui ab a. 1503. ad a. 1512. magnum Magistratum eximie gessit, inserviit; prima enim Icon Insignia *Ambosiana* Cruci Ordinis conjuncta et a duobus Angelis sustentata exhibet. Infunt porro post *Calendarium* initia IV. Evangeliorum, Passio secundum *Johannem*, Psalmi graduales, Horae B. M. V. secundum usum hospitalis sancti *Johannis iherusalem*, quod et alibi additur, Horae de Cruce, de S. Spiritu, de Conceptione et quidem immaculata; in oratione enim dicitur: *ipsam sine macula concipiendam*; VII. Psalmi Poenitentiales cum Litaniis, in quibus: *Ut magistrum nostrum religionemque nostram regere custodire ac defendere digneris*. Officium pro Defunctis. Preces ad Deum, variosque Coelites, in quibus S. *Fiacrius*, cujus effigies dextra librum, laeva palam tenet; demum diversae per annum Missae.

DCCCCVIII.

Codex membraneus lat. Sec. C. 945 XV. Folior. 169. 4^{to}. probe scriptus, literis initialibus, tum marginibus foliorum auro fulgido, variaque pictura speciosis, et insuper XI. Iconibus Vitae Christi mysteria referentibus, magis tamen a colorum vivacitate, quam ab arte commendandis decoratus, olimque Parthenonis *Halenfis* in *Tyrol*, *Horarium* est Initia Evangeliorum, Officium de B. V. *Maria*, de cruce Domini, de S. Spiritu, Psalmos dictos *Poenitentiales* cum SS. Litaniis, Exequias Defunctorum, XV. *Mariae* Gaudia, et Orationes quasdam complexum, quas ejusmodi Rubrica praeit: *Quiconques vult estre bien conseillies de la chose dont il a besoing si die chascun iour les oroisons que vous trouuerres si apres escriptes* &c. Ita omnia gallice inscripta sunt, cumque tam in praevio *Calendario* 30. Maji *Translation. S. ferreu. et S. fergeuil*, dein 16. Jun. *S. ferreu. et S. fergeuil* auro scripti occurrant, quam in Litaniis iidem Martyres *Ferreolus* et *Ferrucius* invocentur, *Horarium* istud ad Dioecesin *Vesontinam* refero; *Vesontione* enim horum Christi Testium *Aerpsava* quiescunt. Qua ratione deinceps ad quendam *Germaniae* Episcopum aut Vassalum Imperii devenit, dicere non habeo: praefixa enim est manu eleganti Sec. XV. inclinantis Formula quaedam generalis Homagii feudalis, cujus ini-